

In diesem Bande fehlen die Schriften Nr 39-41.

21. Sep. 1955.

Luchter.

Nr. 60.2.

25

PRORECTOR, CANCELLARIUS
ATQVE
SENATVS ACADEMIAE GEORGIAE
AVGVSTAE
AD NATALEM
CHRISTI,
Principatumque, quem ille ante & post nativitatem suam gesit Esa. IX, 5. 6.
DIGNE CELEBRANDVM MEDITANDVMQVE
CIVES UNIVERSOS
INVITANT ET HORTANTVR.



aa.

GOTTINGAE
APVD. A. VANDENHOECK, ACAD. TYPOGR.

PROLOGUS CONCILII ARIENS
AT 6 AE
SENATE ACCEPTE CECERIT
ACADEMIA
AD EXTRALIA

CHRI^TT

DIOSCORIDES MEDICINAE
CIVILIS UNIVERSITAS
INITIAT ET FORTALITUT

GOTLIMUS

SENATE ACCEPTE CECERIT

Esiam c. IX. 5. 6. non tantum de principatu Messiae post mortem ad dextram Dei electi (id enim interpretes Christiani non facile negant) sed *de principatu etiam ejusdem nondum nati* cecinisse, nunc demonstraturi, ante omnia significandum esse putamus, quid per principatum Messiae nondum nati intelligamus. Theocratis igitur ipsa, imo Christocratia israelitico-judaica est, quam principatum Messiae nondum nati appellamus. Theocratiam quippe aliquam specialem inter Israelitas vere fuisse, recte passim docent theologi, quandoquidem ipse Deus Mosen misit principem & liberatorem Act. VII. 35. idemque partim ante constitutum tabernaculum, descendente columna nubis, & consistente in ostio tentorii, cum Mose locutus est Exod. XXXIII. 8-II. partim post constitutum tabernaculum, & habitationem suam in interiore illius loco, sancto sanctorum, super arca foederis in nube Levit. XVI. 2. Mosis ad quaestiones propositas omnī tempore respondit Exod. XXV. 22. perque urim & thumim speciatim de rebus politicis, pace ac bello, reges ducesque eruditivit. Vnde etiam Deus populo israelitico reges ad consuetudinem aliarum gentium desideranti ipse eos constituit, ut *suo* populo praeessem *i* Sam. VIII. Quam vero theocratiam pariter fuisse Christocratiam, evidentissimum est. Non enim tantum Deus Mosen misit principem & liberatorem *per manum angeli*, qui Mosis in rubro apparuerat, teste Stephano Act. VII. 35. sed, quod clare inde sequitur, per hunc etiam angelum Mosis locutus est Exod. IIII. 2. sq. Cum vero iste angelus, (qui Exod. IIII. 4. vocabatur Jehovah & Deus, & v. 6. seipsum vocabat Deum Abrahami, Isaci & Jacobi, imo v. 10. sq. propria potestate Mosen *sui* populi vindicem constituebat, nomen suum esse perhibens Ehjeh ascher ehjeh v. 14.15. ideoque non nisi a legatione sponte suscepta angelus dictus, quique populum suum in deserto legibus adstringebat, juvabatque Act. VII. 38. Es. LXIII. 9. 10.) *Christus* esset teste Paulo *i* Cor. X. 9;

utique etiam Christus fuit, qui israelem renitenti Pharaoni extorsit, ex Aegypto per mare rubrum eduxit, expulsisque cananaeis in promissam terram ceu *Princeps ille super exercitum Domini* Ios. V. 13. 14. 15. fortiter introduxit. Quid? qvod ipse Deus, hanc Christocratiam agnoscens, Hos. I. 7. pronuncavit, se Judam liberaturum esse per Jehovam Deum suum. Eiusmodi autem Christocratis in causa fuit, qvod prisci vates Messiam nondum natum ceu principem Judae celebrarint. Bileamus v. g. regi Balako Num. XXIV. causam exponens, qvare populus israeliticus ab hostibus suis opprimi nequeat, hanc profert, qvod sceptrum ex israele aliquando oriturum sit v. 17. Hoc sceptrum, uti ipse Bileamus nos instruit v. 9. erat semen Abrahamo Gen. XII. 3. promissum, atque Schilo ex Juda oriturus Gen. XLIX. 10. siquidem ad Schilonis nativitatem usque distincta tribus & politia unius Judae conservanda erat. Propter illam quoque Christocratiam David filium suum Messiam salutavit Dominum suum Ps. CX. 1. atque Esaias terram judaicam Immanuelis nondum nati esse affirmavit c. VIII. 8. qvam defendat quoque v. 10. Hinc Daniel quoque Michaelem, populi sui principem, judaeorum captivorum causam strenue acturum esse, indicat c. X. XII. quem autem Michaelem esse Messiam, nulli dubitamus. Quanta etiam commoda Judaei ex babylonia reduces propter principatum angeli Domini sive Messiae, etiamsi nondum nati, obtinuerint, historia mundi cum vaticinationibus Haggaei c. II. 6. ss. & Zachariae c. I. II. III. comparata illustrat.

De hoc igitur *Messiae nondum nati principatu* accipimus verba Esiae c. IX. 5. וְכָשֵׁב בְּהַמִּלְחָמָה & principatus ejus fuit super humerum ejus. Primum quidem sine haesitatione hic supponimus, totum illud, qvod l. c. legitur, & de quo mox plura dicemus, oraculum de puerō nato, filioque dato, admirabili, consiliario, Deo forti, patre aeternitatis & principe pacis

pacis non de Hiskia, sed solo Messia agere. Ineptiunt enim
 Iudei recentiores, qvando vatem sic loqventem introdu-
 cunt: & vocavit Jehova, qui est admirabilis, consiliarius,
 Deus fortis, pater aeternitatis, nomen pueri, (Hiskiae) prin-
 ceps pacis. Namque aduersantur istis accentus (qvod norunt
 horum periti) naturalis constructionis usus (secundum qvem
 verbis, & vocavit nomen ejus, non subjicitur nomen vocantis,
 sed vocati, ut ex inductione omnium scripturae locorum li-
 qvet, demonstrante *Gassetio* contra R. Isaak Chissuk emunah)
 & auctoritas chaldae interpres, veterumqve Iudeorum, qui
 omnia haec nomina Messiae vindicant apud *Raimundum Martini* in pugione fidei P. 111. p. 743. Qvin singula vatis verba
 illam petulantiam judaicam castigant. Neque enim Hiskias,
 neqve regnum ejus verbis prophetae ullo pacto conciliari
 potest. Hiskias, prout in primis Es. XXXIX. pingitur, nec ad-
 mirabilis, nec consiliarius, multo minus Deus fortis, pater
 aeternitatis & princeps pacis appellari poterat. Regnum
 etiam Hiskiae non amplificandum, sed mox finiendum erat.
 Vnde perstat, Esaiam, oraculum suum de filio admirabili ex
 foederali promissione divina Davidi & Sam. VII. 12-16. facta
 aperte repetentem, nequaquam Hiskiam, sed justum potius
 Davidis germen, cuius nativitas teste Jeremiac. XXIII. 5. post
 Hiskiae mortem adhuc futura erat, cecinisse.

Deinde nunc contextus antecedens nos adducit, ut creda-
 mus, verba: & principatus ejus fuit super humerum ejus, desi-
 gnare principatum Messiae nondum nati. Esaiam c. VII. 14. Im-
 manuelem Messiam, non filium sive prophetae ipsius, sive re-
 gis cecinisse appetat, qvia Immanuel ille, licet nondum na-
 tus, Dominus terrae judaicae c. VIII. 8. & potentissimus de-
 fensor erat v. 10. Inventu qvidem difficile non est, qvomodo
 Messiae licet post aliquot demum secula nascituri confirmata
 ab Esaiā nativitas domum davidicam a metu excidii liberave-
 rit,

rit, cum constet, illam ex Gen. XLIX. 10. cognovisse, distinctam tribum & politiam a Juda prius recessuram non esse, quam Schilo veniat. Neque mirum adeo, quod Vates ex ista de Messia immannele nascituro vaticinatione (c. VII. 14.) promissionem de auxilio Immanuelis licet nondum nati contra assyrios c. VIII. 10. repetat. Hortatur porro populum, qui foederibus hominum nimium tribuebat, ut omnem fiduciam suam in unum illum Immanuelem collocet, qui credentibus petra offensionis foret. Qvod ipsum sane aliquando eventurum dicit utriusque domui Israel, & civibus hierosolymitanis v. 14. 15. Quoniam autem hoc judicium non tantum plus quam 700 annis post exercendum erat, sed captum etiam iudaicum prorsus superabat, mandat Deus prophetae, ut obsignet istam praedictionem v. 16. Propter consternatum autem Prophetam ipse Immanuel prodibat (nam Prophetam hunc ceu praesentem jam compellaverat v. 8. & hic Prophetam v. 11. f. jam instruxerat) in haec verba v. 17. 18. locutus: confido in Domino &c. (non obstante futura illa utriusque domus & hierosolymitanorum occaecatione, conf. E. (XLIX. 1. f.) ecce ego & liberi, qvos dedit mihi Dominus, quamvis hi prodigii instar inter suos sint. Nihilominus, qvod Dominus illo procul adhuc futuro tempore severissimum illud judicium in populo suo, confisuro hominibus, & in primis pseudodoctribus suis (a) executurus sit, confirmatur v. 19 22. Ne autem tam clara curiae caelestis sententia contra utramque domum Israel, civesque hierosolymitanos aliquando exequenda v. 14-22. a Juda ex praepostero sui amore tanquam ad se speciatim non pertinens negligatur, & de solis qvibusdam ephraimitis dicta

(a) Hieronymus docet, Nazarenos jam tum perspexisse, hariolos apud Esaiam c. VIII. 20. esse pharisaeos tempore Christi. Qvam antiquam interpretationem formis loquendi esaianicis convenientem esse, demonstravit Vitringa.

dicta credatur; Esaias intervenit v. 23-c. IX. 6. Pseudermenia
 videlicet ejusmodi ingenio judaico admodum facilis erat. In
 antecedentibus enim (c. VIII. 10.) *uni* Judae efficax Immanuelis
 c. VII. promissi praefentia assignata erat. Etiam si autem de-
 incepit v. 14. 15. severissimum judicium utrique domui, & ci-
 vibus speciatim hierosolymitanis praenuntiatum erat; tamen
 pro more hominum judaei ea, quae placebant, sibiique solis
 promissa erant, nimis extendisse, ingrata vero, licet ad utram-
 que domum pertinentia a se aliena putasse videntur. Qvare
 vates dupli $\varphi\epsilon\nu\delta\epsilon\rho\mu\nu\pi\epsilon\alpha$ judaicae obviam iturus, declarat,
 partim quod terra Zabulon & Naphthali, et si haec p[re] re-
 liquis terrae ephraimiticae incolis semper vexata, & adhuc
 vexanda sit, neutiquam tamen horridum illud occaecationis
 judicium, de quo v. 14. 22. sermo fuerat, sine Juda expertura
 sit, partim quod illa terra Zabulon & Naphthali adeo non
 excludenda sit a spiritualibus Immanuelis beneficiis, ut po-
 tius iste, cu[m] lux illa magna inter galilaeos praecipue verfa-
 turus, perque doctrinam suam spirituales terrae illius tenebras
 dissipaturus sit, qvandoq[ue]d nobis i. e. utrique domui,
 non soli tribui Judae Immanuel nasciturus sit c. VIII. 23-IX. 6.
 Qvam sine arte quae sitam connexionem si attendissent in-
 terpretes; comma 23. illud tanta ipsis crux non fuisse. Nos,
 qui una cum aliis v. 23. pro initio capit[is] IX. malumus habe-
 re, qvam pro fine capit[is] VIII., totam illam pericopam a c.
 VIII. 23-c. IX. 6. sic circumscribimus: Hanc ipsam ob cau-
 sam, *quia non caligo* (spiritualis q[ui]ppe illa occaecatio utrius-
 que domus & poena gravissima v. 14. 15. 19. f.) ei (illi *uni* po-
 pulo erit, eveniet) *cui angustia* (corporalis fuit, qvam terra
 zabulon & Naphthali p[re] aliis illius terrae incolis perpeti
 solebat); hinc, *sicut tempore priore vilem fecit* (Deus) *terram Za-*
bulon & terram Naphthali; (non enim tantum in bello cum
 Tiglatpallassare, sed in omnibus etiam bellis, quae Ephraimi-
 tae

tae cum syris & hostibus aquilonaribus gesserant, hi ipsi tetrae ephraimiticae incolae prae reliquis, & primi quidem affligebantur) ita tempore posteriore eam honorabis, sc. viam maris, (eam ipsam regionem, quae est versus mare sive lacum Genesareth) oram Jordanis, galilaeam gentium. Hinc etiam (c. IX. 1.)
 sic, hic ipse populus (prae aliis olim vexatus) qui in tenebris sedet, videbit lucem magnam, (non tam corporalem, quam spiritualem, ut ex contextu antecedente & conseqvente liquet) incolis terrae umbrae mortis lux splendebit: (v. 2.) amplificanda
 (sub illud tempus) erit haec gens, (etiam si non magnam laetitiam (corporalem) interea expectandam habebit: (vid. i Reg. XV,
 29. ubi adflictio quaedam terrae Zabulon & Napthali mox post editum ab Esaia oraculum nostrum nata est, quam tam
 plures securae sunt) laetabuntur (tamen spirituali gaudio
 ob lucem spiritualem sibi exortam v. 1.) coram re veluti laetitia
 in messe, quemadmodum gaudent, ubi dividunt spolia (materiam
 saltem spiritualis laetitiae uberrimam galilaei habebunt, imo
 habuerunt quoque, Luc. XIII. 17.) (v. 3.) nam jugum trahulatio-
 nis ejus, & baculum humeri ejus, virginem exactoris ejus conteres ut
 in die Midian, (i. e. quod Deus in corporali Judae liberatione
 à Sennacheribo praestitit, vid. Es. X. 24-27; idem longe ex-
 cellentiore, & spirituali quidem ratione praestabit illi toties
 vexato populo tempore lucis magnae oriturae, pariter ad
 exemplum liberationis olim a Gideonie impetratae, aque folio
 Deo absque ope humana procuratae (β) (v. 4.) quia omnis

 (β) Judaei quidem liberationem populi judaici ab assyrio per cladem,
 quam Sennacheribus accepit, hic quaerunt, & non sine specie pro-
 vocant ad Es. X. 24-27. quos duces sequitur Grotius. Nos quidem
 non abnuimus, vatem sic loqui, ut ad Gideonis & Sennacheribi
 tempora alludat. Neutiquam vero Esaias de liberatione corporali
 Judie à Sennacheribo agit, quia de populo galilaeo, prout hie-
 rosoly-

conflictus confligentis cum strepitu, & vestimentum inquinatum caedibus erit in combustionem, cibus ignis, (i.e. imperium Imanuelis, de quo in antecedente ac consequente contextu agitur, regnum pacis erit, conf. Es. 11. 2-4.) (v. 5.) quia puer (Immanuel) natus est nobis (utrique domui Israel c. VIII. 14. 15. ita, ut terra Zabulon & Naphthali, quamquam extus praetaliis adficta, de spiritualibus Messiae beneficiis una cum Iuda, & quidem eximie laetatura sit v. i. f.) filius datus est nobis (in commune commodum, adeoque eorum nemine excepto, qui aliquando suapte culpa offenduntur, occaecabuntur & peribunt c. VIII. 14. f. filius autem iste dabitur nobis) cuius (licet nondum nati) principatus super humerum ejus fuit (eritque, solo quippe nutu suo hostes populi, speciatim assyrios cohibiturus c. VIII. 10. terram quidem Zabulon & Naphthali mox affligi passurus 1 Reg. XV. 29. sed eandem etiam deinceps recreaturus c. IX. 2.) vocabitur autem (post nativitatem suam, agnoscereturque) admirabilis, consiliarius, Deus fortis, pater aeternitatis & princeps pacis, ita, ut amplitudini principatus (non inter Iudaei tantum atque israelitae, sed inter omnes etiam orbis terrarum gentes) & paci nullus finis futurus sit super throno Davidis (Ps. XLV. 7.) & in regno ejus (2 Sam. VII. 16.) quod (ceu aeternum Davidi i. c. promissum post nativitatem demum Imanuelis) adaptabitur & confirmabitur per justi-

rosolymitanis opponitur, deque tempore nati Messiae c. VIII. IX. aperte loquitur. Accedit consuetudo prophetarum, qui imagines beneficiorum Messianorum ab analogis factis corporalibus desumunt, e. g. Jer. XXIII. 6. ubi dicitur: tempore germinis Davidis servabitur Iuda. Ast cum Iuda iam ante saepius servatus esset; non potest alius verborum sensus esse, quam hic: tunc in primis, & spiritualiter quidem servabitur populus. Consentit ejusmodi hermeneuticae Zacharias in oda Georγev̄t̄ sua Luc. I. 70. 71.

justitiam. Id ipsum zelus Domini exercituum (impleturi promissionem Davidi 2 Sam. Vll. factam non obstante lapsu & occaecatione utriusque domus Israël hierosolymitanorumque civium c. Vlll. 14. 15.) suo tempore cerrissime efficiet.

Itaque cum antecedens contextus sic comparatus sit, ut futuram nativitatem Immanuelis c. VII. 14. defensionem Iudee contra assyrios per Immanuelem nondum natum, cum iuda tamen suo nihilominus praesentem c. Vlll. 10. & utramque domum Israël spiritualium nascendi Immanuelis beneficiorum participem c. IX. 1-5. sifstat; verba vatis v. 5. & principatus ejus super humerum ejus fuit, accipimus de principatu Messiae, quem ille ante nativitatem suam gesit. Etenim si puer & filius ille nemo alias, quam Immanuel est c. Vlll. 14. & c. Vlll. 8. 10. commemoratus, (id autem contextus docuit); principatus sane pueri & filii hujus c. IX. 5. sine additamento ullo positus non alium designat principatum, quam qui c. Vlll. 8. 10. recensebatur, i. e. eum, quem Immanuel ante nativitatem suam habebat. Accedit, quod principatus iste v. 5. aperte distinguitur ab amplificando principatu Immanueli nati v. 6. Imo non distinguitur tantum principatus v. 5. a principatu v. 6. sed hic quoque illi opponi videtur, quemadmodum pax sine fine futura, quae ad amplificandum Immanuelis principatum pertinet v. 6. sine dubio opposita est turbulentio iudeorum statui tempore Esiae & ante natum immanueli. Tacemus, quod nemo, quem sciamus, interpretum (stante hypothesi vulgari, quasi principatus ille super humerum sit principatus Messiae jam nati) aptam rationem ullam reddiderit, quare vates tot nomina filii v. 5. medio sermoni suo de principatu ejusdem v. 5 & 6. interferuerit. Ingeniose quidem hic aliqua in medium adferri solent, sed magis nobis placet b. Schnepfius, qui ab ipsis omnibus abstinent, ad verba: & principatus ejus fuit super humerum

merum ejus, sic scribit : de eo postea, cum de regno agendum erit. Tacemus quoque, conjunctionem principatus ante & post nativitatem Messiae in hoc oraculo pii iudeis sequentium temporum magno solatio esse potuisse, siquidem principatus, qui incrementum suum expectat, premi quidem, non opri-
mi potest.

Hactenus illa ! Transimus ad principatum filii Immanuelis post nativitatem suam, quem vates v. 6. subjungit. Hunc quia omnes sani interpretes concelebrare solent, nos non nisi ex hypothesi nostra de antecedente v. 5. principatu Messiae nondum nati Comma 6. paucis illustrabimus. Pone igitur, quod principatus Messiae nondum nati v. 5. praemissus sit, annon pii iudei, cum Esaia & post eum viventes, per hujus ipsius non durationem tantum, sed amplificationem etiam promissam, omnia nascituri Immanuelis nomina, quae v. 6. extant, quaeque realia esse, i. e. majestatem personae atque muneric Messiae denotare, nemo facile dubitat, rectius perspexerint ? Sciebant quippe jam antea, angelum Domini, principem populi sui Jud. Xlll. 18. seipsum appellasse Αλεξ, admirabilem. At nunc ex Esaia audientes, Immanuelem talem fore, quia puer & simul Deus fortis foret, eumque ceu admirabilem habiturum esse principatum amplissimum & pacem sine fine ; sine dubio per principatum Messiae nati ex eiusmodi causa amplificandum ad augustiores de indole regni Messiani conceptus deduci sunt. Iudei quidem a Micha c. IV. 8. 9. instruebantur, non nimis dolendum esse propter iacturam regis & consiliariorum principum, quasi nullus amplius, nec praestantior rex & consiliarius illis foret. At iidem ab Esaia edicti, Immanuelē θεόν των ποντών fore principem consiliarium, acutius procul dubio viderunt : cuius rei vestigium nobis forte supereft in ipsa versione graeca, quae ψυχή περ ἄγγελον μεγάλην βαλῆς reddidit. Iudei quidem cum

Esaia viventes principem suum Immanuelem pro Deo forti habuerunt Es. X. 21; at nunc cognoscentes, eundem post incarnationem suam & propter amplificandum principatum pacis aeternae suum se exhibitorum esse Deum fortem, non potuerunt non ad altiora ascendere, sc. ad promissas Messiae victorias contra inimicum generis humani Ps. VIII. 3. tyrannum illum & gigantem Es. XLIX. 24. coll. Es. XI. 2. XL. 10. Ps. XLV. 4. itemque Luc. I. 70. 71. Neque minus pii judaei principem populi sui Immanuelem audientes fore post nativitatem suam patrem aeternitatis & principem pacis, clarius perspexerunt, quae dudum David in psalmis & Hoseas c. XIII. 14. de aeterno & spirituali regno Messiae commemoraverant. Quidni etiam iidem ab hoc tempore longe certissimi redditi sint, thronum semini Davidis 2 Sam. VII. 16. promissum naturae fore diversissimae a throno Davidis & successorum, cum non hic, sed amplificandus Immanuelis nascendi principatus, isque cum pace aeterna conjungendus ab ipso Esaia ceu perfectum demum oraculi illius 2 Sam. VII. obvii implementum respiceretur?

Accipite, Cives optimi, quae de principatu Messiae, & nondum nati & jam ^{tum nati} hoc unice consilio hactenus disputavimus, ut Vos calefaceremus ad anniversariam, quae instat, natalium Jesu Christi memoriam, eo majori cum reverentia & pietate celebrandam. Utinam non essent inter christiani nominis homines, qui forte de imperio turcico aut perfido libentius, quam de Christi ad Patris dextram sedentis principatu cogitant, quasi hic ad se non pertineat. Utinam non essent, qui dies festos nostros ita eximios non habent, ut a consuetis peccatis suis ferientur. Inter vos autem, Cives, ne deprehendantur ejusmodi ingrata pectora, quantum in nobis est, providere volumus. Cum enim causa memoriae natalium Christi tam irreverenter habitae, post
dravi-

pravitatem voluntatis humanae consuetudine peccandi obduratae, in mera ignorantia insit; nostra interesse putavimus, dignitatem sacrorum natalitiorum ex maiestate nati Servatoris illustrare.

Profecto enim principatum, quem Messias ante nativitatem suam inter israelem gessit, non fuisse imaginarium, experiebantur post maiores suos judaei tempore Esiae viventes, qui fiduciam in Immanuele nondum nato, quam inculcaverat Esias c. VIII. 10. non frustra collocarunt. Furor enim syrorum & Ephraimitarum (Es. VIII. 7.) per Assyrium tempestive cohibebatur. Cum autem Assyrius terram Immanuelis pariter invaderet (Es. VIII. 8.); Sennacheribus terribilem cladem accipiebat, quam non nisi a divina manu profectam esse, perviderunt ipsi caeci pagani, quod appareat vel ex ipsa Herodoti descriptione, quantumvis mutilata, in capite tamen causae sacris scriptoribus ad stuporem usque consentiente. Ast haec ipsa clades, teste Esiae c. VIII. 10. ab Immanuelе nondum nato immissa est. Messiae quoque nondum nati principatu tribuenda est *una illa longa series* imperiorum conquassandorum, quam Haggaeus c. II. 5.6. eo *confilio* praedicebat, ut judaeis constaret, cultum divinum cum Templo nulla inimicarum gentium vi prius abrumpendum esse, quam ipsa inimici populi evangelium pacis, quod Sione egressurum erat, quaerendi initium facerent. Verum enim vero sensum literalem Haggaeani oraculi, eventumque ejusdem illustrissimum hoc loco perseqvi non licet. Efficaciam denique principatus Messiae nondum nati testantur vaticinationes Danielis de Michaele, angelorum & populi judaici principe c. X. XII. itemque visiones Zachariae (de angelo Domini, res populi sui curaturo c. I. hostesque populi cito punituro c. II.) utraeque coram toto terrarum orbe eventum exactissimum confecutae.

B. 3

Ne.

Neque etiam utopicum aut putatitium esse principatum pueri Immanuelis nati, teste Esaias, amplificandum, christianos in hunc usque diem docuit experientia. Christum quidem in coelos adscendentem soli conspexerunt Apostoli, testes quidem omni exceptione majores, quibuscum etiam testatus est Deus signis, prodigiisque Hebr. II. Interim efficacitas principatus Christi ad dextram divinam enecti non solis innotuit Apostolis, sed toti simul orbi per publicam multorum seculorum experientiam exposita est. Oppositus quidem Satanae principatus in mundo nondum desit Eph. II. licet caput ejus dudum contritum sit; nihilominus tamen principatus Messiae, medios inter hostes suos regnaturi Ps. CX. i. prout cecinit Esaias, vere amplificatus est. Neque enim casu aut naturali via regnum Christi in orbe propagatum & conservatum esse, praeter rem ipsam, antegressae de modo hujus negotii vaticinationes extra omnem dubitationis aleam ponunt. Ipse quidem Servator jam ante mortem dixerat Joh. XII. 37. se post exaltationem suam universos ad se tracturum esse: praeconiumque de regno suo in toto terrarum orbe plenarii excidii judaici proximum signum fore Matth. XXIV. 14; sed postquam Agnus in throno sedens Johanni suo penitus amplificandi regni sui modum ex. gr. Apoc. VI. sub emblematis luculentissimis depinxit, eventumque corum omnium historia imperii romani & ecclesiae christianaee ad stuporem usque demonstravit; evidencia non certe unius, sed plurium seculorum publica (eaque, si ultra Apoc. VI. progredimur, cum seculis longentibus aucta, & ad nostram usque aetatem durante) perspicimus, non casu, sed per omnipotentiam Agni in throno sedentis illa omnia contigisse. Non metuimus hic obscuritatem Apocalypses, mox vere, mox falso propugnatam. Nihil, Cives, quicquam a vobis postulamus, quam ut visa beatissimi Apostoli nobiscum consideretis, significatum ima-

imaginum apocalypticarum ex ipso constanti prisorum vari-
tum usu investigetis, & historiam imperii romani ecclesiae-
que christianaे inde a tempore editae apocalypses confera-
tis. Qvae omnia cum plane non dependeant ab arbitrio no-
stro; interpretationem istis unice nixam laude firmitatis de-
bitae non privabunt.

Videt autem Apostolus Apoc. VI. primo loco *Eqvum al-*
bun, cuius fessor arcum in manu tenens, coronam accipit, &
qvia veteranus miles erat, in bellum abit, ut plures victorias
reportet v. 2. Deinde videt *eqvum rufum*, cuius eqviti potestas
dabatur, pacem de terra auferendi, hominibus se invicem tru-
cidaturis v. 4. Tum confspicit *eqvum aurum*, cuius eqves libram
manu tenet ad significandam ammonae caritatem v. 5. 6. Prae-
terea *eqvum pallidum* cernit, cuius eqves vocabatur mors, se-
quente sepulcro, atque cui potestas dabatur in quartam terrae
partem, occidendi gladio, fame, petre ferisque animantibus
v. 8. Porro videt *animas trucidatorum propter verbum Dei & con-*
fessionem ejus, hasque v. 9. sub altari clamantes audit: quo-
usque Domine sancte & verax non vindicas sanguinem nostrum
in terrae incolis? audit qvoque responsionem hanc v. 10, 11.
quod adhuc plures fratrum, non perdiu tamen, interficiendi
sint. Denique observat *Magnum terrae motum, solem obscuratum,*
lunam coloris sanguinei, stellas de coelo cadentes, coelum voluminis
instar convolutum & transiens, montes ac insulas loco suo motas v. 13.
14. *regesque terrae, magnates, divites, chiliarchas, potentes, servos*
atque libertos in speluncas monium vasto hiatu immanes se absconde-
tes, inclamantesque: cadite, o montes, desuper, ne adducamur cor-
ram sedente in throno, sentiamusque iram agni, qvoniam advenit dies
magnus irae ipsius, quam sustinere nequimus.

Historia contra imperii romani & christianorum sub ido-
lolatria illius gementium inde ab illo tempore, qvo Johanni
apo-

apocalypsis obtigit, fistit nobis a.) *Trajanum*,* qui primus imperii romani fines per innumerabiles victorias suas longe lateque extendit, bella in locis maxime dissitis gerens, regnique tandem potitus Parthici, utpote quam triumphalem coronam Crassus, M. Antonius & Augustus frustra quae siverant. Quemadmodum enim imperium Parthicum solum usque ad Trajani tempora impediverat, quo minus romani orbi terrarum imperarent; ita Trajanus post subjugatos Parthos totius orientis viator erat. Trajanus quidem jam antea Germanos, Dacios & Arabas devicerat, sed post domitiram Parthorum in Persiam & Indiam tam feliciter penetrabat, ut senatus romanus prohiberet, quo minus quis viatorias Trajani, titulos earum, gentesque ab eo subjugum missas dinumeraret. Nolite autem, cives, mirari, quod Trajanus in apocalypsi Johannea locum occupet. Etenim per tot Trajani bella non modo prophetia Davidis c. VII. 23. luculentissime implebatur, natione judaica extra palaestinam degens & evangelio obstrepens severe puniebatur, sed propagatio etiam religionis christiana inter remotissimas orientis gentes longe nunc facilior reddeebatur. Per commercium enim romanorum inde a Trajani tempore cum toto oriente liberum, janua totius orientis successoribus apostolorum aperiebatur.

b.) *Adrianum*. Sub hujus imperio mutuae judaeorum & gentilium, Christo adversantium clades (quorum initium jam ad ultima Trajani tempora spectat) acciderunt. Sicut enim jam tum sub Trajano CCCXX. millia judaeorum in Aegypto & Cypro rebellantium, quod ex Dione Xiphilinus refert,

cru-

* Miramur, doctissimum angulum LOWMANNVM, in reliquis hujus capituli VI. emblematis Abbadaeo in Triumpho providentiae & religionis prorsus consentientem, Trajanum praeter vidisse.

crudeliter interficiebantur; * ita sub Adriano ab una parte tota gens judaica per Barcochabum suum decepta contra imperium romanorum insurgens, inauditae crudelitatis ferrum romanorum experta est, ab altera vero parte mille civitates, & munitissima inter hasce loca vicissim a judaeis devastata, & supra DLXXX millia hostium ab iisdem occisa sunt, Xiphilino iterum ex Dione teste. Quae mutua hostium Christi strages, poenaque in persecutores ecclesiae immissa certe major fuit, quam vexatio, cui christianorum coetus permisso regis sui tunc temporis subjiciebatur.

y.) Antoninum ejusque familiam. Cum hic pro superstitione sua christianos pariter generatim persequeretur; dura fames & annonae difficultas non totam tantum Africam, illud Italiae granarium afflixit, (*Tertull. ad scapulam c. III.*) sed ipsam etiam Italiam Romanique, uti *Aurelius Victor* & romanorum plures memoriae prodiderunt. *Hoc scias esse praeditum*, scribit *Cyprianus* in apologia ad Demetrianum, qui culpam illius calamitatis in christianos devolvebat.

d.) Maximinum, Decium, Gallum. *Volusianum* & *Valerianum*, truculentos illos christianorum carnifices. Eodem autem tempore imperium romanum gladio, fame ac insuper peste plectebatur. Gladius quippe, externa & intestina bella, (quibus imperatores non facile sicca morte ad generum ceteris descendebant,) ac fames in hostes ecclesiae dudum saevierat, sed nunc etiam accedebat pestis, unde bellum ac fames Scriptoribus hujus aevi plaga horum temporum audit. Quin ex *Zonara* constat, pestem aliquam ex Aethiopia ortam omnes Romae provincias penetrasse, perque integros XV. annos devastasse. Quae pestis, teste *Zonara*, sub regno Galli & Volusiani circa A. C. CCL. saevit: de qua *Zosimus*, eti

* Vid. *Eusebius Hist. eccl. l. 4. c. 2.* qui plures judaeorum lanienas per romanos refert.

etsi non christianus scriptor, testatur, nunquam antea tantam hominum stragem fuisse: utriusque vero fidem roborat *Eutropius: sola, inquiens, pestilentia, & morbis atque aegriiudibus notus [Galli & Volusiani] principatus fuit.*

e.) *Periodum martyrum famosissimam cum mox secutis ecclesiac Halcedoniis.* Diocletianus quippe in primis, circa A. C. CCLXXXIV. imperium adiens, ultimae, sed tam violentae christianorum persecutionis auctor erat, ut *Eusebius atque Lactantius*, oculati furoris tanti testes varietatem tormentorum prorsus incredibilem narrent. Sed cum imperatores superstitionem, quam vocabant, christianam penitus deletam, Deorumque cultum satis vindicatum esse crederent, justissime decipiebantur, per rabiem illam suam interitum idolatriae accelerantes.

ζ.) *Catastrophen totius imperii romani idololatrici, persecutionem Diocletiani in sequentem, manumque divinam hostes ecclesiae encantent.* Neque enim tantum Diocletianus & Maximianus per Galerium cogebantur, ut fasces imperii deponerent, sed ipse etiam Galerius inter acutissimos cruciatus saluti suae desperans, publicum mandatum de persecutione christianorum finienda dabat, precesque illorum pro se postulabat, apud *Lactantium* de mort. persec. c. 34. Constantinus contra christianis favens, Maxentium prosternebat, & post hanc victoriā, a qua totum occidentis imperium pendebat, publicum Christo cultum exhiberi permittebat. Etsi autem Maximianus in oriente concessam christianis libertatem revocabat, Licinioque bellum inferebat; infeliciter tamen praeliabatur, cumque mox novum praelium meditaretur, gravissimo morbo correptus, & usu oculorum privatus, ipse tandem profitebatur, se propter christianorum persecutionem puniri, ap. *Lactantium* l. c. c. 49. Postquam autem Licinius, orientis imperator a Constantino bis devictus, captivus ductus, & propter

pter insidias vitae Constantini denuo structas occisus erat, universa Romae gentilis potestas cum hoc viro desinebat. Ab hoc autem tempore Constantinus impiam idololatriam extirpabat, christianamque religionem per universum imperium stabiliebat. Imperatores quippe gentiles imperio exuti misere perierant: totus cultus idololatricus una cum pontificibus & auguribus in christiani imperatoris manus incidebat: duces militiae praefectique civitatibus migrare passim jubebantur: totum imperium immutabatur, & tota idololatrarum cohors dissipabatur, ita, ut vel atrocissimi homines, Gallius & Maximinus, quo se verterent, nescirent, & iram agni totidem verbis agnoscerent.

Quotus autem quisque emblemata Apoc. VI. obvia, partim intellectu per se facillima, partim ex constanti prisorum vatum usu facile definienda cum modo descripta romani imperii & ecclesiae facie comparabit; is propter incredibilem utrinque concordiam non dubitabit, quin status ecclesiae inter romanos idololatras christiana sub illis emblematis apte depingi & potuerit, & vere praefigurans sit. Nisi enim hoc esset, convenientia illa mero casui tribui debebat, cuius tamen nulla prorsus hic adsunt vestigia. Vedit quippe Johannes emblemata, non tumultuaria & fortuita, sed unum post alterum sequens: nosque videmus eventa publica, quaenon ipsis tantum emblematis apocalypticis adearate respondent, sed ordinem etiam illorum constanter referunt. Quae catena emblematum & eventorum fortuita esse nequit. Etenim non unum emblemata aut eventum, sed plura, & a se diversa hic occurrunt: & quanquam homines, proxime eventorum illorum architecti de emblematis apocalypticis, eorumque ordine nihil quicquam cognitum habuerunt; tamen tam varia & magna aliquot seculorum eventa, convenientiam suam cum emblematis illis apocalypticis, & ordine

illorum exactissimam constanter servarunt. Ordo autem ejusmodi non est sine Deo ordinante, utpote qui solus futura contingentia praeficit. Quo pacto autem per experientiam trium priorum seculorum publicam constat, oraculum Esiae de amplificando Immanuelis nascituri principatu divinitus impletum esse. Hanc experientiam publicam siqvis superficialiōe spreverit; is suam ipsius conscientiam consulat, utrum sine pudore istud facere possit? Praetermittimus igitur plura principatus Iesu Christi documenta, quae aequa publicam succendentium seculorum experientiam habent, & agnum in throno sedentem a mundi & ecclesiae regime exclusi non posse demonstrant.

Vestrū igitur est, Cives carissimi, natalem aeterni principis nostri, cuius principatiū omnes subjecti sumus, ita celebrare, ut pacem, propter quam natus est, quaeque in regno illius sine fine est, aut consequamini aut retineatis. Hunc enim filium, qui princeps pacis est, non osculari, certissima pernicioſe est. Impii enim pacem non habent. Qicquid homo peccator fingat & refingat ad pravitatem suam dissimulandam excusandamque, id omne contra sententiam fori caelestis in sacro codice promulgatam, & interdum etiam contra propriae conscientiae testimonium pugnat. A cogitationibus enim accusantibus ne gentiles quidem immunes fuerunt, & sine expressa quadam promissione favoris divini homo dum vivit, peccator de salute sua certus esse nullo modo potest. Talis autem promissio est evangelium de filio Dei nobis dato natoque, cuius divinam originem vel sola omni scepticismo obiectuē historia promissi & exhibiti Messiae dextre iuvicem collata evincit. Itaque nemo vestrū, Cives, per degenerem naturam consuetudinemque eo se abripi patiatur, ut sine lege Domini nostri vivat, cum Christo post veram mentis ad Deum conversionem servire, summa demum, etiam academicā, libertas sit. Impendite ergo instantes festos dies meditationi nati in salutem peccataris hominum familiae Servatoris. Quantacunque enim aliarum scientiarum, quas quotidianē tractatis, dignitas & usus sit; integer tamen earum ambitus cum evangelio comparari nequit. Nulla juris utriusque Scientia ad consilium pacis divinae hominibus deferendae introspiciendum perducit. Nullum naturae scrutinium, nullumque acumen mere humanum attingit ea, quae ad gratiam peccatori liberrime promissam pertinent. Nullaque dicendi vis facit, quod dulcedo pacis divinae, quam sentiunt per Christum justi redditi, praestat, nimis ut de Deo libenter cogitent, & ad obediendum illi in omnibus proclives & apti sint. Scr. in academia Georgia Augusta sub initium sacrorum natalitiorum anni MDCCXLVII.

Fd 5611

ULB Halle

3


002 715 18X



-7430c

VD 17

MG



Farbkarte #13



PRORECTOR, CANCELLARIUS

A T Q V E

SENATVS ACADEMIAE GEORGIAE
AVGVSTAE

AD NATALEM

C H R I S T I,

Principatumque, quem ille ante & post nativitatem suam gesit Esa. IX, 5. 6.

DIGNE CELEBRANDVM MEDITANDVMQVE

CIVES UNIVERSOS

INVITANT ET HORTANTVR.



G O T T I N G A E

APVD. A. VANDENHOECK, ACAD. TYPOGR.